

**TEXTO LATINO  
DE LA TESIS DE PEUCER  
(Leipzig, 1690)**



Q. D. B. V.  
DE  
**RELATIONIBUS  
NOVELLIS,**

MODERANTE  
**L. ADAMO RECHENBERG, P.P.**

& Academiae Lipsiensis h. t. Rectore  
Magnifico

*VIII. Mart. M DC XC.*


publicè disseret

**TOBIAS PEUCERUS,**  
Gorlicensis Lusatus.

---

Literis WITTIGAVIANIS.





B. C. D.

De

## RELATIONIBUS NOVELLIS.

SUMMARIUM  
DISSERTATIONIS.

§. 1. *Argumenti jucunditas.* (2.) *Vocis Novellarum significatio & usus.* (3.) *Relationum historicarum formæ diversæ, & quæ Novellis tribuenda.* (4.) *Novellarum descriptio.* (5.) *Origo earum & causæ exponendæ.* (6.) *Origo historiæ apud gentes quasdam, imprimis Germanos declaratur.* (7.) *Novellarum primi conditores, quæve occasio illas scribendi.* (8.) *Causæ impellentes dux, hominum curiositas, & lucri cupiditas.* (9.) *Causa illarum efficiens.* (10.) *Hujus primum requisitum (respectu intellectus) notitia.* (11) *alterum requisitum, est judicium,* (12.) *quod sæpius narratoribus deest.* (13.) *respectu voluntatis requiritur fides & studium veritatis.* (14.) *quod in novellarum scriptoribus quandoque desideratur.* (15.) *Materia Novellarum res singulares, quæ variæ.* (16.) *prima cautela circa materias seligendas.* (17.) *Secunda,* (18.) *Tertia,* (19.) *Res leves hominum curiositas quodammodo excusat.* (20.) *Forma Novellarum, in quo consistat.* (21.) *Ejus prima pars εἰκοσιούτα seu dispositio,* (22.) *altera λέξις seu dictio, quæ determinatur.* (23.) *Finis Novellarum quæritur.* (24.) *qui est notitia rerum novarum* (25.) *hanc sequuntur utilitas & jucunditas,* (26.) *utilitas varia asseritur,* (27.) *jucunditas declaratur,* (28.) *& limitatur,* (29.) *Distinctio Novellarum adducitur, sine simul dissertationi imposito.*

§. I.



Um nihil magis oblectet animum, quam historia, quocumque etiam modo scripta: non ingrati-  
-fortè lectori operam moliar; si de NOVEL-  
LIS RELATIONIBUS, quarum hac rerum.

A 2

tem-

tempestate nōn parva hinc inde copia est, quædam commentari instituem.

§. II: Ac quod vocem ipsam spectat, *Novellas* pro ipsis *relationibus novis* accipi, vulgo notum est; Etsi apud antiquos scriptores Latinos hoc significatu non occurrit. In Glossis quidem MSS. ad Cod. Conciliorum, sine addito alio nomine, pro *suggestionibus* legi, ex Codice, qui est in Bibl. Regia, *Carolus Du Fresne* in Glossario observat: *Eodem tempore, cum multi novellis gauderent, quod Constantinus baptizatus a Silvestro Episcopo urbis Romæ, emundatus fuisset a lepra &c.* Sed Monachi deinde pro nova relatione aut nuntio usurparunt. Quod ex Vita *S. Mauri metrica* MS. colligere est:

*Est pater in cella, cum nascitur ista novella.*

Unde Gallis tritum vocabulum *Nouvelle*. Imperatores eo nomine, *constitutiones recentiores* denotare, *Antonius Augustinus* animadvertit. Nos perspicuitatis gratia, adjicimus *relationes*.

§. III. Ut vero hic instituti mei ratio constet, primum de variis historiæ formis, nonnulla præfari me oportet. Nam quædam perpetuo velut filo, servata rerum gestarum serie certa, pertexitur: ac vel *universalis*, vel *particularis*, aut *singularis* dicitur. Quædam vero *sejuncta*, quæ ex perpetua narratione rerum gestarum, facta vel dicta selecta ac memorabilia excerpit, aut prout se quodque offert, ordine aliquo disponit atque recenset. Cujus generis fuisse videntur τὰ ποσώδη Ἀεσιζίνε; item *Pescennius Festi historie per Saturnam*, quarum meminit *Lactantius*, *libr. I. de Fals. Relig. c. XXI.* & aliorum. Confer *Vossium de Art. Hist. c. VII.* Quædam denique *miscella* vel *confusanea*. Græci σύμμικτα, aut ποικίλην, vel πανηθοδαπὴν ἰσορῶσαν appellant; uti et, si ordinis nulla habeatur ratio, Ἀτακτα: quomodo Aristotelem

stotelem opus suum inscripsisse, testis est *Laërtius, libr. V. p. m. 317.*

§. IV. Ad hanc ultimam classẽ referimus *Relationes Novellas*; quæ notitiam rerum variarum recenter in orbe hinc inde gestarum continent. Hæ enim insuper habitis iusta rerum connexarum serie, earumque causis, nuda tantum expositione contentæ, vel solum summas rerum gestarum memorant, vel res diversi argumenti, prout quotidie in vita accidunt, aut ex fama obveniunt, miscent: ut jucunda varietate lector curiosus alliciatur atque detineatur.

§. V. Harum *Origo & Cause*, quibus componuntur, jam uberius exponendæ veniunt: ut tam *Structura* ejus, quam *Usus* in vita literaria & civili cognoscatur plenius.

§. VI. Quod *Originem* attinet, eiq̃idem certus annus designari haut potest, quando primum modus conscribendi ejusmodi *Novellas*, & velut tumultuarias relationes invaluerit. Apud Græcos olim ante bellum Trojanum, *Diodoro Siculo, initio Bibliothecæ suæ*, tradente, nulla historiæ cura fuit. Imò ante Olympiades omnia ignota aut fabulis involuta fuerunt. *v. Censorinum de D. N. Cap. XXI.* Apud Romanos quoque primis, ab urbe condita, seculis, ut perraræ literæ fuerunt; ita nec erant, qui rerum memorias literis mandarent. Si forte excipias, quæ in commentariis Pontificum, aliisque publicis privatisque monumentis consignarentur, *v. Liv. L. VI.* Quam veterum negligentiam postea Scriptores insignes, tum Græci, tum Latini compensarunt, conditis iustæ historiæ commentariis. Apud Germanos ante Caroli M. ætatem, historiæ studium fuisse excultum, nullis puto, certis documentis doceri potest. Ipso vero rerum in Germania potiente, ut aliæ artes, ita & historia tradi cœperunt, a monachis

maxime, qui pro ruditate seculi, res gestas in chronica retulerunt primum. Cum autem sub initium superioris ævi literarum lux enitescere cœpisset; in historiæ condendæ studium viri graves & docti majori industria iterum incubuerunt. Quo ejus gloria quasi resuscitata est, ut animum ad scribendam historiam multi applicarent. Hos deinde aliqui mediocriter docti æmulati, opera tumultuaria, ex literis vel aulicorum, vel mercatorum, vel fama publica, de rebus hinc inde noviter gestis, relationes miscellas compilarunt: ut populi curiositati ad nova noscenda subinde proclivi velificarentur.

§. VII. Hinc Itali & Galli, ac postea Belgæ atque Germani, occasione bellorum, quæ varia fortuna tum gerebantur, id perfunctorium scribendi genus primum admasse videntur. Imprimis cum hinc inde cursus publici, & ut vocant, Postæ essent constitutæ, unde, quæ in distitis locis gerebantur, facile nosci poterant. Illos in imperio Rom. Augustus primum instituerat, apud *Svetonium in Aug. c. 49.* Has Carolus V. Imperator rectius ordinavit in imperio. In Gallia Ludovicus XI. postas disposuit, ut celerius ac sub manum annunciari cognosciqve posset; quid in provincia quaque gereretur. *v. Lim. Jur. Publ. l. II. c. IV. n. 135.* Tandem & auctore Gotardo *Arbasio*, Dantiscano, anno 1609. *Mercurii Gallo-Belgici* provolarunt. Qui, etsi cum veris historiis, fabulâs aut falsâ sæpe annunciarent; gratiam tamen curiosæ novitatis consecuti, apud multos fidem promiscue invenerunt. Quod, dicente *Lucretio*, L. IV.

omne

*Humanum genus est avidum nimis auricularum.*

Et ut *Seneca* Lib. VII. *Nat. Quæst. c. 16.* loquitur: *Quidam creduli; quidam negligentes sunt. Quibusdam mendacium obre-*

obrepit; quibusdam placet. Illi non evitant; hi appetunt: & hoc in commune de tota natione, quæ approbare opus suum, & fieri populare non putat posse, nisi illud mendacio adsperserit.

§. VIII. Unde Cause Originis Novellarum hac tempestate imprimis frequentium, sunt partim curiositas hominum; partim lucri cupiditas, tum colligentium tales; tum vendentium. Id quod exemplis passim obviis doceri posset, nisi in re nota prolixè occupari tædiosum, & forte etiam quibusdam molestum videri posset.

§. IX. Ad causas ergo, quibus tales componuntur relationes, progressuri; primum de autoribus, (quos in scholis Causam Efficientem appellamus) agendum est. In his, si veras & idoneas novellas (liceat enim nobis hoc vocabulo, vulgari usui recepto, tantisper uti,) expectas, varia requiri solent. Ea nos vocabimus virtutes boni historici: quas partim ad intellectum; partim ad voluntatem referas.

§. X. Ad intellectum pertinet primò notitia rerum, quæ relationibus mandari publicis debent. Hæc comparatur vel ἀποψία, si quis rerum gestarum fuerit ἀπόψιος; vel ex relatione aliorum, qui, quæ viderunt gesta, aliis memorant. Ubi quidem majorem fidem mereri testem ἀπόψιον, quam, qui ex relatione aliorum percepit, quivis facile concedet. Utenim in judiciis, testi oculato magis, quam auro, ita quoque narratori ἀπόψιον magis, quam qui ex aliis hausit, credi solet. Forte etiam hanc ob causam Verrius Flaccus Libr. de Verbor. Significatione ap. Gell. L.V.c. 18. voluit, historiam propriè esse narrationem, quarum quis fuerit ἀπόψιος. Sed ita nimis anguste accipi historiam Vossius de Art. Hist. c. 1. recte observavit.

§. XI. Deinde & iudicio, dote intellectus eximia, opus est in relationibus ejusmodi concinnandis: ut res n-  
de



de dignæ ab inanibus, qui sparguntur, rumoribus; leves suspiciones & quotidianæ res atque actiones à publicis, iisque memorabilibus discernantur. Quod iudicium, ut multis scriptoribus, imprimis monachis, Chronicorum scilicet architectis, olim defuit; ita & in Novellarum collectoribus illud non raro desideres, cum μικρολογία, vel πλεπία sectantur, & quæ utilia & jucunda forent lectu, omitunt; ab aliis accepta chartis promiscue illinentes, atque etiam, ubi nihil habent certi, suspiciones & conjecturas aliorum pro historia venditantes. Cujus generis multæ ad nos ab exteris transmittuntur.

§. XII. Hunc vulgarem in historicis defectum notavit olim *Lucianus de Hist. Scrib.* Εἰσὶ τινες οἱ τὰ μεγάλα μὲν τῶν πεπραγμένων, καὶ ἀξιωμακένεστα ᾤοντα λαλεῖν, ἢ ᾤοντες ὑπὸ δὲ ἰδιωλείας, καὶ ἀπειρηκαλίας, καὶ ἀγνοίας τῶν λεκτέων, ἢ σιωπητίων, τὰ μικρότατα πάντα λιπαρῶς καὶ φιλοπόνως ἐρμηνεύουσιν ἐμβροδύνοισι. Ὡς περ' ἀνεῖ τις τῶν Διὸς τῶν ἐν Ὀλυμπίᾳ τὸ μὲν ὅλον κάλλος, τοσοῦτον καὶ τοιοῦτον ὄν, μὴ βλέπει, μὴδ' ἐπαινοῖ, μὴδὲ τῶν σὺν εἰδῶσιν ἐξηγεῖτο τῶν ὑποπόδιον δὲ, τὸ τε εὐθυεργές, καὶ τὸ εὐξέσον θανυμάζοι, καὶ τῆς κρηπίδος τὸ εὐευθμον. *Sunt quidam, qui rerum gestarum maximas & memoria dignissimas prætermittunt, aut percurrunt: Præ imperitia autem, aut ineptia, & ignorantia eorum, quæ dicenda, tum quæ tacenda sunt, res minimas admodum prolixè & laboriosè immorando persequuntur. Non aliter, ac si quis Jovis Olympiæ pulchritudinem universam, quæ tanta est ac talis, nec videat, nec laudet: neque etiam iis, qui ea nesciunt, quicquam narret: sed subsellii rectitudinem & expolitionem, & crepidæ concinnitatem admiretur, & hæc plene magno studio exponat. Quam sententiam postea duplici similitudine illustrat; una ex hortis; altera è conviviiis petita; ineptum esse tradens, si quis rosa præterita spinas potius juxta radicem enascentes accurate contemplari intendat: aut si in convi-*

convivio lautissimo quis saperdam & pulmentum etiam adponere, conveniens existimet; cum neutrum fieri potius conveniat.

§. XIII. Ad *voluntatem* auctoris novellarum refero fidem & studium veritatis: ne forte partium studio obnoxius, quid falsi temere admisceat; aut parum explorata de rebus magni momenti scribat. *Nam quis nescit,* ait Cicero *L. II. de Orat. primam esse historie legem: ne quid falsi dicere audeat. Deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratie sit in scribendo? ne qua simultas.* Hæc scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Et *Strabo Lib. VI. Geogr.* ubi, quæ de Amazonibus narrantur, fabulosa censet. *ἡ ἱστορία, subjicit, βέλεια τ' ἀληθῆς, ἂν τε παλαιόν, ἂν τε νέον καὶ τὸ πρὸς ἰῶδες, ἢ σὸς ἔχει, ἢ σαπίων.* Qua de causa *Polybius* olim scriptor gravissimus, res Scipionis in Hispania gestas descripturus, in oras longinquas profectus est: ne quid falsi historiae suæ adspergeretur. Qualem industriam in Herodoto & Theopompo *Cicero I. de LL.* desiderat. Et *Quintilianus Lib. II. Orat. Instit. c. II.* fidem fere Græcis derogare videtur, *Græcis scribens, historiis plerumque poeticæ similes esse licentiam.*

§. XIV. Equidem novellarum compileribus majorem hac in parte licentiam, quam historicis gravioribus esse, putatur; cum ipsi nec rebus gestis interfuerint; nec de illis documenta fide digna, ex longinquis oris, aut Principum archivis obtinere facile possint; pleraque ex amicorum literis, aut fama publica, sæpenumero incerta, colligant; & interim curiositas hominum quibuscumque narrationibus pascenda sit. Enim vero si nunquam licet mentiri, aut falsa dicere, ut alius falsa opinione imbuatur vel decipiatur; rectius fecerit autor talis; si omittat aperte falsa tradere: aut, si incerta sunt, adjiciat illam cautelam,

B

quam

quam *Seneca Lib. IV. Nat. Quæst.* suppeditat: *Penes auctores fides erit.* Nam famam hic incertam sequi, & in rebus alicujus momenti, fallere lectores, temerarium valde est. Quid rumoribus; quid famæ etiam publicæ tribuendum sit, ex *Alexandri M. ad milites verbis*, apud *Curtium Lib. IX.* intelligere est: *Non est improvisa vobis mentientium vanitas. Nunquam ad liquidum fama perducitur. Omnia illa tradente, majora sunt vero. Nostra quoque gloria, cum sit ex solido, plus tamen habet nominis, quam operis.* Atque hinc videndum est; an, si res noviter gesta, ex locis diversis simul nuncietur, plurimumque comprobetur testimoniis. Ubi illa consonant, fidem faciunt narratis probabilem, ut narrator ipse adeo excusari possit. Cum id cuius historico, etiam gravissimo, accidere queat; ut falsa veris quandoque sine ejus culpa misceantur. Nam *Flavius Vopiscus*, in *Aurcliano* suo profiteri non erubuit; ipsum se dixisse *Junio Tiberiano*, neminem historicorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum: prodidisse quoniam etiam, in quo *Livius*; in quo *Sallustius*; in quo *Cornelius Tacitus*; in quo denique *Trogus* manifestis testimoniis convinceretur.

§. XV. His de autore, monitis, ad materiam *novellarum* deveniendum est. Illa, (ut justæ historiæ) sunt *res singulares* sive à DEO per naturam, sive ab Angelis, sive ab hominibus in Civitate & Ecclesia factæ, aut gestæ. At vero, cum eæ propemodum sint infinitæ, selectus illarum quidam instituendus est, ut ἀξιωματικόν ἔσται h. e. memoria aut cognitione dignæ præferantur. Cujus generis primo sunt prodigia, monstra, miranda & insolita naturæ, vel artis opera aut effectus, inundationes aut tempestates horrendæ, terræ motus, phænomena, noviter reperta aut detecta, quorum hoc seculum ferax maxime fuit. Deinde varie-

varietates imperiorum, conversiones, translationes, belli & pacis negotia, bellorum causæ, consilia, prælia, clades, strategemata, novæ leges, Judicia, Magistratus, Dignitates, nativitates & obitus Principum, Successiones in regno, inaugurations & similes ritus publici, qui vel noviter instituuntur, vel mutantur, vel abrogantur, virorum obitus illustrium, impiorum exitus, & alia. *Denique* res ecclesiasticæ ac literariæ: ut origo hujus vel illius religionis, autores ejus, progressus, sectæ novæ, doctrinæ placita, ritus, schismata, persecutio, Synodi religionis causa habitæ, decreta, doctorum scripta insigniora, contentiones literariæ, virorum eruditorum nova opera, instituta, casus, obitus & quæ sexcenta alia sunt ad historiam vel *naturalem*, vel *civilem*, vel *ecclesiasticam*, vel *literarium* spectantia: quæ in novellis, utpote historia confusanea misceri narrando solent, ut varietate jucunda animus lectoris afficiatur.

§. XVI. Hæc verò in seligenda materia, relationibus publicis digna, opus est aliquot cautelis, quas communis suggerit prudentia. *Prima* est: ne res iis mandentur leves, aut quotidianæ hominum actiones; aut etiam casus humani, quorum semper in communi vita est copia uberrima. Tales sunt tempestates pro anni & aëris diversitate non infreqventes; actiones Principum privatæ; ut venari, convivari, comœdiam spectare, in hanc vel illam arcem exspatiari, militum aliquot turmas lustrare; Item civium negotiationes inter se, maleficorum supplicia; conjecturæ de negotiis publicis, nondum cognitæ, & alia id genus, quæ privatorum diariis magis, quam actis publicis conveniunt. Exempla talium in Chronicis monachorum & similis fursuris Scriptorum libris passim deprehendere licet plurima. Non dissimilem judicii defectum, *Capitolinus* in Junio Cordo,

Historico olim notavit; in *Macrini Vit. c. I.* quod minima quæque persecutus sit: quasi vel de *Trajano*, vel de *Pio*, vel de *Marco* sciendum sit: quoties processerit, quando cibos variaverit, & quando vestem mutaverit. Idem Scriptor in *Gordianis c. XXI.* Cordum hunc reprehendit. *Hæc de Gordiano*, inquit, *Juniorè*, digna memoratu comperimus. Non enim nostalia dicere volumus: quæ *Junius Cordus* ridicule & stulte composuit de voluptatibus domesticis, caterisque infimis rebus: quæ, qui velit scire, ipsum legat *Gordium*: qui dicit, & quos servos habuerit unusquisque Principum, & quos amicos, & quot penulas, quotve chlamydes; quorum scientia nulli prodest.

§ XVII. Deinde altera cautela est: ne res Principum, quas propalari nolunt, promiscue recitentur. Periculosum enim est, de illis scribere, qui possunt proscribere. Itaque prudentes monent, expectandum esse, donec illi inter vivos esse desierint, aut nocere amplius nequeant. Quod *Arrianus* in rebus *Alexandri* ex *Ptolomæo* & *Aristobulo* fideliter descriptis, monuit; & *Corn. Tac. Ann. I. I.* observavit. Et raro etiam de Principibus adhuc superstitionibus vera narrantur; cum Scriptores vel gliscente adulatione, vel metu deterrentur: quo fit, ut veritas pluribus modis infringatur: primum inscitia reipublicæ ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes. Ita neutris cura posteritatis inter insensos vel obnoxios. vid. *Tacit. Histor. l. I. c. I.* Hanc ob causam in bene constituta republica non cuivis, novellas spargere in vulgus, concedi debet. vid. *Besoldi Thesaur. Practic.* in voce *nene Zeitungen* / & celeberrimi *JCi Dn. Abasveri Frischii Discursum de Novellarum hodierno usu & abusu*, Jenæ anno 1676. publicatum cap. III.

§. XIX. Tertia cautela est: ne, quæ bonis moribus,

bus, aut religioni veræ noxia sunt, inferantur: ut sunt res obscœnæ, scelera nefando modo patrata, impiæ hominum voces, piis auribus graves. Quæ dum narrantur, dicente *Plinio*, doceri quasi videntur. Hanc ob causam prudenti consilio in quibusdam civitatibus constitutum est, ut novellas non ante typis exscribere liceat, quam censura fuerint approbatæ. Interest enim disciplinæ honestæ, ne impuris ejusmodi chartis hinc inde dispersis, animi innocii offendantur; aut ad mala alias proclives velut excitentur.

§. XIX. De cætero, quod res exiles attinet, quæ majorem quarundam novellarum partem constituunt, Collectores earum excusari magis possunt; quam historici. Quia illi non tam posteritati; quam curiositati populi, rerum novarum cupidi, tumultuarie fere scribunt. Huic enim pascendæ, si res graves desunt, leves & quandoque futiles satisfaciunt. Quapropter hic moribus seculi quodammodo indulgendum est. *Jul. Cæsar de B. G. L. IV. c. 5.* hanc curiositatem in Gallis olim notavit: *Est hoc Gallicæ inquit, consuetudinis: ut viatores etiam inuitos consistere cogant; & quid quisque eorum de quaque re audiverit, aut cognoverit, querant: & mercatores in oppidis vulgus circumstet: quibus ex regionibus veniant, quasve res ibi cognoverint, pronuntiare cogant: his rumoribus atque auditionibus permoti, de summis sæpe rebus consilia incunt: quorum eos è vestigio prævitare necesse est; cum incertis rumoribus serviant, & plerisque ad voluntatem eorum ficta respondeant.* Tali ergo novarum cupiditati rerum, quæ hodieque populi animos occupavit, cum sese aliqui forsan attemperant, levia narrando, Dionem Cæsium imitari convenit: qui ad minutias recensendas delapsus, subinde excusatione quadam usus est: ne imprudentia, vel inscitia peccasse videretur.

deretur. Nam quisquis vanitatem mortalium novit; facile cogitare potest, quam proclivis sit error in omnibus istis, quæ ab aliis fando, vel rumore etiam incerto accepimus. Multi ea, quæ quotidie fiunt, sive affectu abrepti; sive incuria decepti, longe aliter narrare solent, quam facta sunt. Quapropter, si de veritate rei ambigitur, formula velut cautionis apud *Curtium L. II.* extante, uti licebit: *Equidem plura transcribo, quam credo.* Nam *nec adfirmare sustineo, de quibus dubito: nec subducere, quæ accipi.* Quo facto, fidem suam novellarum Scriptor liberabit, prudenti sic lectori iudicio permisso. Unde laudatus supra *D. Frisclius Discurs. cit. cap. IV.* monet; *Novellis non temere credendum est.*

§. XX. *Forma ejusmodi relationum*, si requiratur, varia est. Generatim tamen dicendo ἐν ὁικονομία καὶ λέξει consistit; quippe qua τὸ σῶμα τῆς ἱστορίας alias constitui solet. ὁικονομία ordinem ac dispositionem rei gestæ respicit; λέξις dictionem & stylum rebus convenientem denotat. De utraque parte quædam differenda veniunt.

§. XXI. Ac quod ὁικονομίαν & dispositionem attinet; illa à rei natura, de qua agitur, plurimum pendere videtur. Vel enim res plures diversæ indolis recensentur; vel res aliqua simplex. In illis recensendis ordo est arbitrarius; cum nullus inter res diverso loco, tempore & modo gestas sit nexus. Quare ut casus ordinem offert, servatur. In re vero simplici atque singulari Ordo utique rei consentaneus est servandus. v. g. Si quis obsidionem Moguntia, superiori anno susceptam, & ejus expugnationem insecutam persequi velit; ita digeri omnia debent: ut primo auctores ejus; hinc occasio; tum adparatus & instrumenta; postea locus, & agendi modus; postremo actio ipsa atque successus, virorumque fortium virtus, quæ in obsi-

obsidione & occupatione urbis maximè eluxit, describenda sunt. Ita, si quis relationem expeditionis Britannicæ à Guilielmo, Arausionensi Principe, nunc Magnæ Britannia Rege, susceptam adornare velit; pari modo & ordine relatio contexenda foret. In aliis narrationibus similiter sex illæ notæ circumstantiæ, quæ semper in actione spectari solent, attendi debent: ut persona, res, causa, modus, locus ac tempus. *Vid. Francisci Patritii de Hist. Dialog. VII. & IIY.* In aliis rebus, quæ civiles non sunt, dispar quodammodo est ratio. Quia omnes circumstantiæ non simili modo aptari semper possunt; cum vel de causa, tempore, loco, modo rei factæ non satis constet. Ubi sufficit ex fama summam rerum nuntiare, quæ ordinem nescit. *vid. Plin. L. IV. Epist. XI.*

§. XXII. ἡ λέξις seu *dictio* vel *stylus novellarum* nec oratorius, nec poëticus esse debet. Quia ille lectorem novitatis cupidum protelat; hic turbat; nec satis perspicue rem exponit. Narrator vero ut oblectet, statim intelligi vult. *Conf. Cic. L. II. de Orat.* Hunc vero finem consequitur, si partim puro; partim perspicuo & brevi utatur fermone. Quod Cicero in *Bruto suo* adprobat: *Nihil, inquit, est in historia, pura & illustri brevitare dulcius.* Igitur obscura verba & perturbatus eorum ordo vitandus est. Quod *Lucianus* quoque de *Scrib. Hist.* monet: τῆ Φωνῆ αὐτῆ (συμφερα Φήως) εἰς σκοπεῖς ὁ πρῶτος, σιφῶς δηλῶσαι, καὶ φανώτατα ἐμφανίσαι τὸ πρᾶγμα μὴ πρὸς ἀπορήτους, καὶ ἔξω πάτερ ὀνόμασι, μήτε ἀγοραίοις τῆτοις, καὶ καπηλικαῖς, ἀλλ' ὡς μὲν τὰς πάλαις συνίεναι, τὰς δὲ παιπεδωμένους ἐπανέσαι. h. e. *Voci ejus (Scriptoris) unus hic esto scopus, ut rem plane aperiat, & quam lucidissime declaret, verbis neque obscuris, neque ab usure motis; neque etiam vulgaribus hisce & tabernariis; sed quæ vulgus intelligat, & eruditi laudent.* Plura de Stylo historico, quo etiam in *Novellis*



vellis uti convenit, hic afferre necessum non est; cum alibi jam sint à nobis tradita. *Conf. Fab. Quintiliani L. X. c. 1. & doctissimi Vossii de Art. Hist. c. XVI.* Si maxime etiam, ut in Chronicis antiquis, stylus sit asper aut barbarus; narrationis tamen jucunditati parum decedit. Quia juxta *Plin. L. V. Epist. 8. Historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi & qualibet nuda rerum cognitione capiuntur; ut qui sermunculus etiam, fabulisque ducantur.*

§. XXIII. *Finis* historiæ internus ac proprius est, conservatio memoriæ rerum gestarum. Nam absque illa si foret, res ante nostram ætatem gestæ intercidissent, vel oblitteratæ forent omnes. Quia res singulares fere infinitæ sunt: Quæ, nisi historiæ, vel annalibus mandarentur, ob vanitatem, & memoriæ humanæ lapsus, tandem silentio sepelirentur; aut integræ ad posteros transferri nequirent. *Relationum novellarum* non perinde hunc finem statui posse, ex iis, quæ jam diximus, colligere est. Nam illæ non posteritatis causa, sed curiositatis humanæ gratia conscribi solere; ex causis jam supra allatis, manifestum est. Si tamen accidat, ut ex his etiam res memoratæ in historiam referantur justam; id non omnibus, sed paucis, quæ cum cura aliqua & industria consignatæ sunt, intelligi debet. Major vero illarum pars, ob tumultuariam ex rumore & literis parum certis haustam scriptionem, ætatem ferre haud valet. Ac adeo inter certa monumenta, unde memoriæ posteritatis consulatur, tuto referri nequeunt.

§. XXIV. *Notitiam* ergò potius rerum novarum utilitate & jucunditate quadam conjunctam, dixerim novellarum finem. Hanc enim ob causam primum novellas cœpisse scribi & divulgari, supra, cum originem earum attingerem, jam insinuavi. Cupiditas siquidem sciendi  
nova,

nova, tanta est, ut quoties in compitis & viis publicis congregiantur cives, quærant: Ecquid novi? Huic hominum curiositati ut fieret satis, relationes novæ typis passim exscriptæ sunt vario idiomate. Quas qui legit, congregiorum forte sitim novitatis quodammodo sedare potest.

§. XXV. Huic fini adjunximus *utilitatem* ac *juvunditatem*, quæ illum comitari solent. Nam ut *Lucianus* de *Scrib. Historia*, τὸ χρήσιμον, h. e. *utile*, & alii τὸ εὐχρῆνον, *juvundum* finem historiæ constituunt: ita nos non errabimus, si hæc velut finis dicti jam *effectus*, aut consequentia nominaverimus. Utrumque enim notitia ex relatione nova hausta, in animis legentium parere videtur.

§. XXVI. *Utilitatem* equidem novellarum tantam esse, quantam historiæ prudenter scriptæ, haudquam affirmarim; cum auctores illarum fere illis destituantur; quæ historiæ justæ condendæ sunt necessaria: ut peritia rerum, prudentia, iudicium subactum, documenta certa ex archivis minime suspectis petita, ac denique elocutio & Stylus historiæ conveniens. Veruntamen aliquam illarum utilitatem esse, quæ tum publicæ, tum privatæ hominum vitæ conducatur, asseverare haud abnuerim. Illam peculiare *Schediasmate Curioso*, Viri Clarissimus, *Christianus Weisus*, ante hos tredecim annos exponere aggressus est. In quo, uti Viri Celeberrimi solertia commendari meretur; ita curioso Novellarum lectori omnino ad eos, quos ille ostendit, usus respiciendum est: qui præcipue ad notitiam Geographicam, Genealogicam, historicam & Politicam spectant. In studio enim Geographico minus versatum, Novellarum lectione, ad illud ve-

luti allici ostendit; aut si ejus jam peritus sit, hic perpetua repetitione quasi firmari, quod ipsum & de Genealogia asserit. Ad historiam vero nostri temporis tumultuariam imprimis facere Novellarum lectionem, nulla indiget probatione, si scopum earum videas. Usus denique Politicum in Novellis hunc fere eminere *cl. Weisius* contendit, quod jura inter Principes in utramque partem disceptata inde cum consiliis, artibus & moribus in aulis frequentibus cognoscere liceat: ubi tamen inania à veris & solidis discernere prudentis lectoris est. Nam qui accuratam rerum civilium notitiam inde addisci posse arbitrantur, oppido falluntur. Tandem & alios usus pro literatis & illiteratis, imprimis mercatoribus monstrat Quibus nihil addimus, quam quod ad usus hosce eruedos geographiæ & rerum civilium, maxime aularum, requiratur peritia. Quæ ut non adeo multis obtingit, ita non à quovis hosce usum exponi posse, manifestum est.

§. XXVII. *Jucunditatem* ut omnis historiæ, ita novellarum nemo, nisi inficetus negabit. Nam ex sententia *Ciceronis L.V. Ep. 12. ad famil. Nihil est aptius ad delectationem, quam temporum varietates fortunæque vicissitudines, quæ etsi nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt jucundæ. Habet enim præteriti doloris securæ recordatio delectationem: cæteris vero, nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est jucunda. - - Etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet, quasi enumeratione fastorum At viri sæpe excellentis ancipites, variisq; casus habent admirationem, expectationem, letitiam, molestiam, spem, timorem: si vero exitu notabili concluduntur, expletur animus*  
ju-

*jucundissimæ lectionis voluptate.* Hoc in recentem maximè historiam quadrat; quippe quæ animum lectoris curiosum semper afficit, atq; exhilarat. *Sunt enim, ut Plinius supra loquitur, homines naturæ curiosi, & quolibet nuda rerum cognitione capiuntur: ut qui sermunculis etiam fabulisque ducantur.* Antonius Panormitanus de *Alphonso, Rege Arragoniæ libro de Rebus ejus Gestis*, memorat: quod legendo historiam Curtii, tantopere delectatus fuerit; ut morbo, quo laborabat, inde liberaretur. Huic valetudini restitutus dixisse fertur: *Valeant Avicenna, Hippocrates, medici cæteri: vivat Curtius, sospitator meus.*

§. XXIIIX. Majorem tamen adhuc voluptatem ex novellarum lectione capiunt eruditi: qui Geographiæ, Genealogiæ, ac rerum civilium gaudent peritiâ. Quia omnis relatio jucunda magis, si locum, si personas illustres, quibus auctoris res quædam gesta, aut causas, propter quas fuit suscepta, nôris. Has vero rerum circumstantias ex nominatis doctrinæ partibus hauriri, quis est, qui nesciat? Quarum qui rudes sunt, non dissimiles videntur facies hominum in tabula picta contemplantibus tantum, statura & corporis lineamentis omissis vel etiam tectis.

§. XXIX. Sed visa jam *novellarum* quasi idea, de variis earum generibus agendum esset. Nam *quædam* relationes, literarias tantum res continent: quales, & diversi quidem argumenti, in Gallia, Anglia, Belgio, Germania, & Italia publicari notius est, quam ut à nobis hic exponi debeat. *Quædam* singulares & elegantes præcipue res, curioso scilicet titulo præfixo, lectori promittunt: quales sunt, quæ Lutetiæ & Amstelodami exscri-

buntur, *le Nouveau Mercure Galant*, contenant tout ce qui s'est passé de curieux &c. *Quædam* res civiles recensent: ut *Histoire Abbrege de l' Europe, ou Relation exacte de ce, qui se passe de considerable dans les Estats, dans les Armées &c.* quales Amstelodami ap. Claudium Jordanum excuduntur. *Quædam* vero res varii generis, prout quotidie sese offerunt, complectuntur. Atque hæ in diversis locis impressæ, iterum vel singulis hebdomadibus, vel mensibus, vel semestri quolibet spatio elapsis, diverso idiomate, evulgari solent. Inter quas, Lipsienses Germanicæ, tenus hac cum cura collectæ, & Francofurtenses Latina, sumptibus hæredum Latomicorum impressæ, præferri merentur; quod rerum, quæ narrantur, selectum quendam habeant; omissis nugis & quæ incerto rumore hinc inde disseminantur. Sed de his plura dicere, aut etiam de singulis judicare, invidiosum videri poterat; cum nostri instituti ratio non ferat, quenquam importuna hic notare censura. Quin potius lectori illarum prudenti permittentes judicium, DEUM precamur, ut imposterum nonnisi læta Germaniæ & Patriæ nostræ, scribendis Novellis suppetat materia.

SOLI DEO GLORIA!

*Ad*

*Ad*  
*Celeberrimum Virum,*  
**Dn. Chr. Funccium:**

**F**UNCCI, verendos CLARA FAX inter senes,  
Gorliciani & CLARA FAX Gymnasii;  
Qvin nostræ & olim CLARA FAX puertia;  
*Peucerum*, ephebum moribusq; & artibus  
Cultum, mihi cum laudibus commiseras,  
Monstrarem ut illi in hisce Athenis Lipsicis,  
Qva porro eundum semita esset, si velit  
Se *Funccianum* comprobare heic asseclam.  
Feci id lubenter, quantum equidem mihi pote.  
Vidique eum artem strenue Machaonis  
Tractare, ut olim spes salusqve morbidis  
Grata esse posset; qvin Machaon Patriæ.  
Sed is *Novellas* antea describere,  
Qvam specimen artis publicaret, cui vacat,  
Voluit. Favebis porro, spero, industria  
Juvens flagrantis, CANDIDUM ACCARUM CAPUT:  
Nam adhuc meretur inter hos referri,  
Non pœnitendi, qvi fuerunt asseclæ.

*Deproperab.*  
*Dissertationis*  
P R Æ S E S.

---

**I**N Cathedrâ Sopicâ qvi jam cum laude videris,  
PEUCERE, in Medicâ mox videare, precor.

*ita cordiculus ominatus*  
D. Martinus Fridericus *Griese/*  
Profess. Publ. & Facult. Med. Senior.

---

**I**Mam dum scandis cathedram, PEUCERE, supremam  
Divinant Charites, Castalidesqve TIBI.

*Boni ominis ergo*  
*scribebam*  
D. Andreas *Petermann/* Chirurg. & Anat.  
Prof. Extraord. ac Reip. Lips. Med. Ordin.

**S**cribere dum gestis causas ortumque *Novarum*  
*Rerum*, gratatur docta Caesera TIBI:  
 Gratatur Phoebus, cuncti gratantur Amici:  
 Candida cur nec Ego vota precesque feram?

*deproperabat*  
 D. Joh. Adam Hoffsteter.

**B**ellum opus & merito, PEUCERE Polite, probandum  
 Aggrederis, nec Te cura moratur iners:  
 Sed majora parans, quaecumque interprete charta  
 Inclyta facta simul fataque Fama refert,  
 Discutis, & pulcro properas producere nisu,  
 Quod decet ingenii sensa subacta Tui.  
 Ipsa hinc *Fama* Tuis dum suaviter annuit ausis,  
 Secum celsa feret Nomen ad astra Tuum.

*Gratulandum appof.*  
 Joh. Caspar Grimm, Med. D.

**P**EUCCERUM, PEUCERE, novum retulisse minaris,  
 Qui Witikindea Celsus in urbe fuit.  
 Et bene! Sed FUNCCI memor illius esto Borussi,  
 Et fuge ceu pestem τὴν πολυπεραγμοσύνην.  
 Illa etenim semper nocuit, nocet, atque nocebit,  
 Quin saepe & mortem & vincula dura tulit.  
 Tu FUNCCI potius, Patriae qui magnus Apollo est,  
 Insequeris monitis, & nova multa legis:  
 Jamque etiam historias, Pindi sub Atlante, *novell.*  
 Tractas ingenii non sine luce tui.  
 Maeste, atque historicas Medicis conjunge Camenis,  
 PEUCERUSq; alter, sed sine crimine, eris.

*properat.*  
 L. Joachimus Fellerus, PP.  
 & Acad. Bibliothecar.

**M**an sieht zwar da und dort viel Zeitungs-Krämer gehn /  
 Die mit der falschen Wahr umher hausiren lauffen /  
 Und das vor gang gewiß und neugeschehn verkauffen ;  
 Was doch in ihrem Kopff und nirgend sonst geschehn ;  
 Alleine wenig sind/die aus dem Grund verstehn /  
 Was Zeitungs-Sachen seyn. Solt man die nur recht fragen /  
 Die/wo sie gehn und stehn/sich mit Novellen tragen /

Um den und jenen Etat/man würde leichtlich sehn/  
 Daß nicht ein ieglicher/der was zu plandern weiß/  
 Nach recht geschickt wovon zu discurren wisse/  
 Und daß der allerding viel sehn und lernen müsse/  
 Der hier was wissen will. Sein nimmer-müder Fleiß/  
 Herr Peucer/ hat uns diß zur Gnüge dargethan/  
 Indem er alles das ausführlich hat gelehret/  
 Was zu der Wissenschaft von Zeitungen gehöret/  
 Und was man nur davon vor Nachricht haben kan.  
 Wird durch die Zeitungen das sonst bekant gemacht/  
 Was vor war unbekant; so wird Er sein studiren  
 Zu seinem fernern Ruhm dermaßen glücklich führen/  
 Daß einst die Zeitung auch von Ihme wird gebracht:  
 Herr Peucer/der von nichts als stetem Fleiß gewußt/  
 Und reiner Frömmigkeit/ist alles des gewähret/  
 Was ie sein Herz von Gott gewünschet und begehrt/  
 Er ist der Eltern Trost/des Vaterlandes Lust!

Dem Hn. Respond. und Aut. seinem sehr werthgeschätz-  
 ten Freunde schriebs zu schuldigen Ehren

**Johann Weber / Verwalter**  
 bey dem Churf. Sächs. Ober-Post-Ämt.

**E**Gregium studiis artem subjungere, mundi  
 Unde status præfens ac politia patet,  
 Rarum inter Juvenes studium & non omnibus aptum,  
 Sed quod ego quòvis clarius esse puto.  
 Omnis in hoc etenim propior tibi fistitur orbis,  
 Et quid terrarum fiat ubiqve, vides.  
 Consilia hinc, imò conjecturare futura  
 Atqve arcana status, omnia nosse potes.  
 Sic jucunda simul Cultori & idonea vitæ  
 Hoc studium intento non numeranda parit.  
 Anne eadem, PEUCERE, Tibi promittere possis,  
 Qui mirâ Studium hoc sedulitate colis,  
 Sed nec successu, quod dissertatio præfens  
 Et plura evincunt scripta, minore colis?  
 Imò, nihil Medico cum sic decedat, honorem  
 Atqve decus Studium majus utrumqve dabit.

M. Gabriel Christoph. Marqvart,  
 SS. Theol. Stud.



**S**o recht! das heißt entdeckt/was wir im Schilde führen.  
 An Ihm/geehrter Freund/kan man diß klährlich sehn/

Da von A vilen Er will iego disputiren  
 Und als ein Respondent auff der Catheder stehn.

Sein curieußer Sinn wies uns dies an der Reisse/  
 Als Er noch damahls war im werthen Vaterland;

Indem sich allbereit/ nebst unermüdeten Fleisse/  
 Ein ungemeiner Trieb zu solchen Sachen fand.

So recht! Ich wünsche Glück/und ferneres Gedeihen!

Dem/wenn auch künfftig Er nicht Schweiß noch Arbeit schont:  
 So kan das Vaterland sich einsten seiner freuen/  
 Als welches niemahls läßt die Tugend unbelohnt.

M. Gottfried Michael Jetter/

S. Theol. Cult.

**Q**ui fora perlustrat, qvi compita oberrat, ad omnes  
 Percunctansqve, novi nunqvid habetis, ait:

Hunc Tu non laudas: verum, PEUCERE, *Novella*

Qvid profint, monstras PRÆSIDE Magnificò.

Scilicet illarum qvoqve dum perscribere pergis

Ortum: ferta TIBI neclit Apollo *nova*.

Ergò *novis* meritò de fertis gratulor, optans:

Fama TIBI semper sit maneatqve *nova*!

C. D. Funccius, Phil.

& SS. Theol. Stud.

**W**as sein gelehrter Fleiß in Leipzig hat gethan:  
 Das zeigt diese Schrift in klugen Sätzen an.

Er fahre ferner fort: damit bey unsern Linden

Die Musen Ihm den Kranz um seine Schläfe winden.

Gottfried Behrmaner/

Medicin. Stud.

